

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Johannis Segeri Weidenfeld De Secretis Adeptorum Sive Usu Spiritus Vini Lulliani Libri IV

Weidenfeld, Johann S.

Londini, 1684

30. Caelum Vinosum Lulli

[urn:nbn:de:bsz:31-96282](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-96282)

ma est, nec multum differt à Cælo vegetabili Lullii ex Tartari alcali confecto. Tartarus hujus vini minus oleosus est, quam Tartarus communis, propterea etiam huic, utpote altiori, annumeratur generi. Ut verò Receptum eò melius intelligamus, illud comparare convenit cum suo originali, desumpto ex Testamento novissimo Lullii.

30. Cœlum vinosum Lullii.

In Testam. Noviss.

R. **V**Inum rubeum, quod liquorem Lunariæ appellamus, & Nigrum nigrum nigro vocamus, & destilla aquam ardentem in Balneo, & illam rectifica, quousque sine phlegmate sit. Quod cognosces, quando comburit petiam lintei propter sui ardorem, quod facies in quinque vicibus, quandoque in tribus. Et cum habueris tale signum, divides illud in duas partes, & unam partem serva pro creando menstruo, & cum alia parte abstrahas animam à Terra (*massa picea*) per modum, quem tibi dicam. Fili, modus est, quod tu destilles phlegma, quousque maneat ad modum picis liquidæ, & tunc pone super illam de aqua (*ardente*) quam rectificasti tantum, quod supernatet materiam tribus digitis, & bene clauso vase pone in fimo vel balneo in digestionem per sex dies, postea destilla in cineribus calidis totam aquam, in qua est anima, postea auge ignem aliquantulum, & extrahe Oleum, quod serva. Postea infunde de alia aqua (*ardente vel Spiritu Vini phil.*) ut prius, & pone in putrefactione per sex dies, ut prius, & postea destilla in cineribus, primò aquam, postea oleum, & sic continua magisterium per eundem modum, quousque extraxeris totam animam à Terra; serva illam, quia est aqua animata, & oleum serva pro Tinctura. Postea terram siccam & induratum accipe, & calcina quousque albescat. Super talem terram debes dare animam, quæ est in aqua reservata. Fili modus est iste: R. Terram albam (*Sal*) & depuratam, & scias pondus, & pone in vitro, & super eam infunde octavam partem aquæ animatæ vase optimè clauso, & pone in balneo per tres dies, quousque videas spiritum ardentem condensatum

L

in

in Balneo, & illum rectificabis, quousque sine phlegmate sit. Tunc superposito alembico extrahe humiditatem sine gustu, quia anima amplexata est spiritum, qui est in ea parte. Et imbibe secundò cum septima parte aquæ animatæ, & digere, ut priùs, & destilla humiditatem. Tertiò imbibas cum sexta parte, & digere, & destilla humiditatem. Quartò infunde quintam partem aquæ animatæ, ut suprà. Quintò da quartam partem, & digere, ut scis. Et continua cum quarta parte semper digerendo & abstrahendo humiditatem quousque terra nostra sit prægnans & alba. Tunc accipe terram prægnantem & pone in vase sublimatorio lutato & bene clauso in igne tertii gradus per viginti quatuor horas, & sublima purum ab impuro. Et sic habebis, fili, vegetabilem mercurium sublimatum, clarum, resplendentem in sale mirabili. Fili scias, quòd philosophi, & nos appellamus id propriè *sulphur vegetabile*, *sal armoniacum*, *sulphur nostrum*, *sulphur naturæ*, & etiam multa alia nomina imponimus ipsi. Fili R. de sulphure hoc vegetabili, quod fecisti, unciam unam, & pone in vase vitreo, & superinfunde uncias tres de aqua tibi superiùs revelatâ (*aqua ardente summè rectificatâ*) & vase bene clauso cum coopertorio suo, pone in B. per unum diem naturalem, post destilla in cineribus, quousque quod poterit ascendere, ascendat, postea scias pondus salis tibi remanentis in fundo vasis, & infunde tres partes sui ponderis aquæ ardentis supradiçtæ, & pone in nostro balneo, per unum diem naturalem, postea in cineribus destilles, & sic facies tribus vicibus. Tunc totum sal vegetabile transactum est per alembicum cum sua propria aqua, & facta est mixtio & aqua clara, quam *simplex menstruum* vocamus. Fili, R. vas vitreum, quod sit vitrum album & solidum, & sit vas magnum, & pone intus libras quatuor vel sex (ad plus) hujus menstrui sic simpliciter soluti, & vase bene clauso & sigillato pone in Balneo, vel fimo sexaginta dierum spatio, & in isto tempore convertetur in quintam Essentiam gloriosam & odoriferam præter modum, quod cognosces quando in fundo vasis videbis hypostasim ad modum urinæ juvenis bene complexionati, & erit clara & resplendens, ut stella cæli. Serva eam in loco calido & humido, ut est Balneum, priùs separando eam ab hypostasi sua, & optimè sigillando vas.

Ambo

Ambo Recepta conveniunt in omnibus, nisi quòd Lullius, terram mortuam calcinet, & communi aquà dissolvendo & calcinando purificet, Parisinus non itè, cum tamen terra hæc, hac purificatione, ad sui spiritus receptionem aptior reddi videatur. Recepta duobus hisce constant membris, præparatione salis harmoniaci vegetabilis, & ejusdem salis reductione in liquidam substantiam sive menstruum. Præparatio salis harmoniaci absolvitur duabus operationibus. In primâ; Anima extrahitur mediante spiritu ex corpore, ut terra fiat inanimata fixa & cereæ fusionis in laminâ calidâ. In secundâ terræ huic fixæ anima restituitur per vices, & hoc variè, ut fiat volatilis: In amborum tam Lullii quàm Parisini Receptis terræ ita exanimatæ redditur spiritus animatus in octavo, septimo, sexto, quinto & tandem quarto sui pondere, usque dum penitus evanescat in lamina ignita; Hanc imprægnandi methodum, vel revivificandi corpus mortuum confirmabit & illustrabit

Sal harmoniacum vegetabile Parisini,

In Apertorio cap. F. & L. & parte secunda citharæ vel Violetta & cap. V. Elucid. pag.

235. Vol. 6. Theat. Chym.

Mercurius noster vegetabilis est principium illud præ cæteris omnibus hujus artis admirandum, quod consistit in præparatione & ablutione Terræ suæ pretiosissimæ, quæ tantæ virtutis est, ut nullo ingenio comprehendi possit, exceptis his, qui miraculosos ejus effectus adepti sunt. Intentio nostra est, ut accipiatur materia remanens (*in destillatione Vini phil.*) instar picis fusæ, cui affunde mortis suæ (*phlegmatis*) ad quatuor digitorum supereminentiam, agita ut tinctura ejus dissolvatur seu pars unctuosâ superflua, sine ut subsidat materia, tincturam decantâ, residuæ materiæ affunde novum phlegma, agitando & decantando toties, donec nulla amplius extrahatur tinctura, & terra remaneat alba, scintillans adamantis instar, quam in sole vel simili calore sicca, cui exsiccatæ & pulverisatæ tantum C. id est sui spiritus (*ardentis*) affunde, ut quatuor digitorum spatio supernatet, digere in alembico cæco

L 2

per

per tres dies naturales, tum destilla leni cinerum calore usque dum dispareant venæ, remoto recipiente bene occluso, aliud appone, destilla aliquantulum fortiori igne omne phlegma, vase fregefacto exime materiam induratam, cui in pulverem redactæ & in eodem vase positæ affunde C. trium digitorum latitudine; luta & putrefac per tres dies, remoto alembico cæco, destilla per alembicum, usque quò ascendant venæ, tum muta recipiens, ut supra has iterabis operationes, donec Terra remaneat alba, & non fumet super laminam ignitam. Jam accipe phialam, cui impone Terram prædictam, luta bene phialæ collum, & pone ad digerendum, vel calcinandum potiùs, in cineribus, & habebis Terram pretiosissimam tuam jam aptam ad recipiendum suum spiritum (*animatum*) sive animam, cum conservatione radicalis sui humoris. R. Terram hanc & impone vasi rotundo, unius palmæ profundo, lato circa orificium, & imbibe eam cum anima sua vel spiritu animato, uti declarabimus cap. L. ita habes plenariam hujus rei instructionem, ita ut impossibile sit, te errare posse, modò sis christianus fidelis. Promiseram tibi (*pergit cap. L.*) dare plenariam directionem componendi omnia genera sulphurum pro nostro magisterio, videlicet sulphur minerale vegetabile & animale. Noli mirari, quod primò sublimaverim & vivificaverim sulphur naturæ minerale, cum hoc fecerim, ut illa darem in ordine, & ut eò melius possis attendere practicam tuam, & theoriam. Etiam si sciam, te non ignorare, nullam posse fieri dissolutionem absque sulphure vel vegetabili vel animali. Nunc ad propositum nostrum.

R. Terram vegetabilem præparatam modo eo, quem docuimus *cap. F.* eam imbibe cum suo spiritu animato, dando ejus octavam partem (*respectu terræ*) claude vas alembico cæco, digeratur in Balneo per octiduum, tum deposito hoc alembico abstrahe humiditatem omnem inspidam in leni cinerum calore, vel solis. Tum imbibe septimâ parte, digerendo in balneo, & destillando in cineribus, ut supra. Tum imbibe sextâ; tum quintâ tandem quartâ parte, & hac quantitate repete reliquas imbibitiones, donec terra ebiberit duas partes & ultra sui ponderis. Tum eam terram exime è vase, pulverisa & ejus parùm pone super laminam ignitam, si pro maxima ejus parte effumaverit, pone pulverem in sublimatorium & subli-

sublima sal armoniacum philosophorum, dans principium
vegetationis ambobus terrenis luminaribus (auro & argento)
absque quo neque opus vegetabile, neque animale, imò omninò
nihil fieri potest in hoc magisterio.

*Hanc Terræ fixæ volatilisationem absolverunt Adepti aliis
etiam modis, non semper observantes ordinem prædictorum pon-
derum spiritus animati in corporis mortui resuscitatione vel
imprægnatione. Aliquando enim terram hanc exanimatam
imbiberunt cum octava parte sui spiritus animati, toties usque
fiat animata iterum & volatilis fit facta. Ita Lullius suum
confecit.*

Sal harmoniacum vegetabile Lullii, *Libro de materia vegetabili in practica quarta.*

Rx. **V**inum excellens rubeum vel album, destilla lege artis
spiritum ardentem comburentem gossipium. Eva-
pora phlegma usque quò remaneat materia crassa instar picis
fusæ, cui affunde spiritus ardentis tantum, ut supernatet per
quatuor digitos: Digere per septimanam in balneo, postea
destilla ex cineribus spiritum animatum, terræ affunde de novo
spiritu ardenti, reiterando toties usque remaneat sicca & in
forma pulveris. Præterea destillabis de terra oleum ex cineri-
bus igno satis forti, ita ut terra nullum emittat fumum in lami-
na ignita. *Oleum istud, ut & phlegma nullius valoris sunt in
præsenti opere.*

Calcina vel reverbera dictam terram in vase clauso, cui in
alembico affunde spiritus ardentis animati partem octavam,
digere in balneo per tres dies, postea leniter abstrahe humidi-
tatem superfluum instar aquæ com. inspidam, imbibe ut an-
tea, & continua toties, usque terra facta sit volatilis, quod
cognosces, si parùm ejus in lamina ignita evaporetur ferè to-
tum. Terram hanc imprægnatam sublima in sublimatione igne
sublimationis per 24. horas. Sal volatile & sublimatum subli-
ma per se adhuc bis, quod spiritu ardenti dissolvitur, destilla-
tur & per 40. vel 50. dies circulatur in liquorem odori-
ferum.

Ali-

Aliquando imprægnaverunt terram ab initio usque ad ejus completam saturitatem cum quarta parte spiritus animati. Ita

Sal harmoniacum vegetabile Lullii,
In Apertorio suo.

℞. **D**E meliore succo Lunariæ, quem invenire poteris, libram unam aut duas, & pone in vas cum alembico, juncturis bene clausis & lutatis, pone ad furnellam, & fac sub-
tùs ignem de uno lichnio, & sub tali lento igne prædicti spi-
ritus destillentur, & tamdiu, donec incipiat venas facere. Ideò quando phlegma incipit venare, tunc signum est, quòd spiritus destillatus sit, qui continet in se omnem perfectionem vitæ, & tunc recipe illum spiritum destillatum, & custodi ipsum optimè in vitro bene obstructo cum cera alba. Postea appone aliud receptorium sub alembico, & recipe secundam aquam, quia adhuc retinet de prædicto spiritu, licet non ita forti, sicut primo; de ista secunda aqua destilla tamdiu, quousque nihil amplius veniat nisi phlegma, quod non habet se aliter, quàm sicut aqua communis, gustando modicum, si adhuc habeat aliquam virtutem, tunc adhuc magis poteris destillare. Si autem sit sicut alia aqua pura in gustu, tunc depone receptaculum cum ista secunda aqua, postea pone aliud vitrum ad recipiendum totum phlegma, tamdiu destillando, donec nihil plus destilletur, & tunc totum phlegma effundatur, quoniam ipsum est, quod mortem infert nostro lapidi pretioso, & hoc vulgus non cognoscit, sed nos cognoscimus. Jam habes terram quæ mansit in fundo vasis nigra instar picis fusæ. Illa enim terræ calcinatio non potest fieri igne forti, sicut sophistæ credunt, sed ipsa fit per proprium spiritum suum, qui custodit eam à crematione quia suus spiritus animam à suo corpore trahit, & repellit phlegma suum superfluum, & terram mortificat, & postea eam vivificat. Ergo nunc calcina terram prædictam sub ista forma. ℞. Secundam aquam destillatam (*aquam ardentem phlegmate permixtam*) & funde eam super terram nigram (*picem*) in vase suo, & misce bene, quousque sit disso-

dissoluta, quia terra statim dissolvitur. Postea desuper pone alembicum & luta bene, & destilla spiritum cum uno lichnio, ut prædixi, donec videbis venas, tunc iterum separa Receptorium alembici cum spiritibus, & pone ad partem, & appone aliud receptaculum, & destilla ulterius, videndo, si adhuc ibi sint spiritus; sin minùs, tunc aqua, quæ destillatur, habet saporem, sicut aqua communis fontalis calida, quam effunde iterum, quia talis aqua phlegmatica est, quæ adducit mortem nostro lapidi. Et post totam destillationem accipe vas cum tota materia, quam tunc invenies magis duram, quam priùs, & hæc est ratio, quia ille spiritus attraxit sibi animam aëream de suo corpore, cò quòd ipse est locus, in quo anima continetur. Illam operationem reitera toties, donec videas materiam tuam calcinatam in fundo instar pulveris nigri, vel etiam tamdiu, quousque videas nullum amplius præstare phlegma, ita ut ultima aqua sit tantæ virtutis, fortitudinis, odoris & saporis, sicut prima. Et non ignores, quòd in tertia destillatione illos duos spiritus (*malè & bene rectificatos*) misceas simul super terram suam, tamdiu, quousque terra & spiritus habebunt illa signa supradicta, nempe terra sit calcinata, & spiritus nullum faciunt phlegma. Postea R. Terram & cum eà quartam partem ponderis sui de spiritu, & pone ad vas tuum, quod nos appellamus Retentorium, & loca ad furnum continuando ignem lentum tamdiu, donec spiritus omninò coaguletur in terra. Scias, fili, quòd corpus, quod mortuum fuit, illud inducit se albis vestimentis, sicut, si Deus voluerit, videbis, quando prædicta experimentabis. Fili, istud reiterabis cum novo spiritu tamdiu, donec videas terram totaliter albam ad modum nivis. Et tunc terra est ingrossata & imprægnata cum æterna claritate, quæ infantem pariet, secundum istum modum. Quando terra fuerit verè alba, tunc fili extrahe eam ex suo vase, & tere eam, ut fiat pulvis minutissimus, & hoc fac super laminam vitream, postea iterum imponatur vasi, lutando ejus juncturas bene, & ponatur super furnellum, & accendatur ignis, continuando per triginta horas, & invenies in angulis & parietibus vasis Infantem nostrum, natum, & resuscitatum per modum pulveris albillimi pulcherrimi, & in tali claritate sicut corpus lunæ. Custodi ergò illam valdè honoratum, quia ipsa est

Terra

Terra nostra foliata, & dicitur spiritus corporum sublimatorum, converius in Terram foliatam, in eandem semina animam, &c.

Aliquando imprægnaverunt Terram hanc nullo observato pondere. Ita fit

Sal harmoniacum vegetabile aliud Lullii,

In Luce Mercuriorum.

℞. **V**inum rubeum vel album, pone illud in putrefactione in Balneo ad minus viginti diebus, ut partes ejus disgregentur, & melius possint separari. Postea per destillationem Balnei extrahas aquam ardentem lentissimo igne; quam toties pone in rectificatione, donec nihil maneat de phlegmate. Deinde per destillationem extrahas phlegma per ignem cineris, donec in fundo vasis remaneat tibi quædam materia ad modum picis liquidæ, & dictum phlegma ponas ad partem. Deinde recipe dictam materiam, & superfunde ei de phlegmate tantum, quantum supernatet ei quatuor digitis, & pone per duos dies in Balneo, postea per unum diem in igne cinerum, ut bulliat leniter, & invenies phlegma multum coloratum, quod per evacuationem in alio vase ponas. Cum novo phlegmate iterum per duos dies ponatur in balneo, & per unum diem in cineribus, deinde per evacuationem in alio vase ponas. Et sic procedas donec phlegma amplius non coloretur. Et si deficeret phlegma, tunc recipias phlegma coloratum, & per destillationem extrahas dimidiam vel tertiam partem ejus per balneum, & cum illo operare, ut supra. Cum verò illud phlegma non amplius coloratur, tunc remanebit tibi in fundo vasis terra quasi alba, & phlegma oleum totum secum attraxit. Si tu velis hæc ab invicem separare, pone in destillationem balnei, tunc phlegma solum ascendit, & oleum remanebit in fundo vasis rubicundissimum. ℞. Hanc terram & superfunde eidem de Mercurio (*vegetabili, sive aqua ardente*) ut supernatet duos digitos, & pone in ignem cinerum per unum diem

na-

naturalem, ut bulliat leniter, postea extrahes (*destilles*) ipsam terram per ignem cinerum, ut supra, & ponas ad partem. Et de alia aqua ardenti affunde dictae terrae, ut supernatet per duos digitos, & pone in cineribus per unum diem naturalem, deinde extrahe ipsum per destillationem cinerum, ut supra. Et sic procede, donec nihil amplius de spiritu (*anima alibi dicto*) remansit in terra, sed totum transiverit cum aqua ardenti, quod cognoscere poteris, cum terra remanserit in pulvere impalpabilissimo; & ponendo eam super laminam ignitam non dabit fumum, erit signum, quod sit sine spiritu (*anima*). Quam terram postea ponas in digestionem in tripode athanoris, & ibi stet per decem dies continuato igne. Postea R. de aqua ardente in qua est spiritus (*anima*) & superpone dictae terrae, ut supernatet per unum digitum, & pone in tripode athanoris per unum diem naturalem. Postea pone in Balneo, & per destillationem extrahas aquam ardentem sine spiritu (*anima*) quia spiritus remanet in terra, deinde desuper ponas de alia aqua ardenti, & sic reiterabis toties, donec terra biberit totum spiritum suum, quod cognosces ponendo terram super laminam ignitam, quia pro maiore parte ibit in fumum. Quam terram per sex dies naturales in tripode digere, postea pones in cineres augmentando ignem, donec per sublimationem oriatur mercurius vegetabilis ad latera vasis, & in fundo remanet *terra damnata*, quae non intrat in opus nostrum. Quem mercurium cito collige, & dum est recens, post ejus ortum, eum in mixturem pones cum aqua sua per duos dies, & fit aqua, quae habet dissolvere omnia metalla sub conservatione suae formae, quam aquam nos vocamus *menstruum vegetabile*.

Eodem modo quo sunt salia harmoniaca vegetabilia, conficiuntur etiam salia harmoniaca animalia. Ita fit.

Sal harmoniacum animale Lullii,

In Testam. Novissimo.

Fili, est alius modus hujus sulphuris naturae, scilicet animalis, in qua est subtilissima scientia, sicut in vegetabilibus, quod facies per modum quem te docebimus; & fili modus est,

M

ut

ut accipias urinam juvenum bonæ complexionis, & ponas in vase vitreo per quadraginta dies, donec putrefacta sit. Postea accipe cucurbitam, & superposito alembico in balneo per spatium quadraginta horarum, destillabis aquam claram, & remanebit in terra spiritus (*in pice anima;*) exsicca bene lutum, & aquam septies rectificabis, & sal album (*volatile*) quod fecerit in qualibet destillatione collige cautè, ne aerem sentiat, & pone in aqua (*spiritu*) sua. Postea terram & aquam (*picem & spiritum*) simul in balneo pone, vel fimo, per quatuor dies, postea in eodem balneo destilla, & pone iterum super terram, digere & destilla iterum, ut priùs, quatuor diebus. Tunc recipe aquam per se, & pone in fimo per duos dies naturales, & in balneo destilla, & iterum in fimo putrefacias, & continua hoc regimen quinque vicibus. Tunc aqua (*spiritus*) est optimè rectificata & limpida. Completo isto opere, redde aquam super terram (*picem*) & dimitte in fimo, postea in balneo destilla, & exsicca terram, & deposito alembico & posito alio operculo sublima per 24 horas naturæ sulphur animale. Tunc collige illud, & super terram, quæ remansit, superfundas aquam suam (*animatam*) & pone in fimo, & destilla in B. exsicca, & sublima, ut priùs, reiterando donec totum sulphur sit sublimatum. Fili, diximus tibi cum revelatione omnem modum sciendi vegetabilia sulphura nostra & etiam sulphur animale cum declaratione totius magisterii. Nunc cum auxilio Dei elucidamus tibi, quòd una est via & modus in animali & in vegetabili nihil variando.

Receptum hoc cum minus clarum sit, nullà factà mentione spiritus vini phil. sine quo tamen nullius esset valoris, ideò addam Experimentum sextum de animali rationali, ubi sic: Maxima sanè & incomprehensibilia summus ille Deus nobis munera largitus est; quæ agnoscentes diu noctûque cum toto corde amare, colere, & admirari debemus, ejusque nomen pro viribus ubique extollere. Nam, ut omittam, quòd nos ex nihilo creaverit, & suo sanguine pretiosissimo redemerit: Hoc alterum est, quòd hominem participem reddiderit dotibus omnibus, quæ in majori mundo continentur, hâcque de causa microcosmus dicitur. Siquidem nobis divino numine revelatum est, ipsi homini inesse virtutes omnes tam animales & vegetabiles, quàm minerales. Ac hoc ipsum verum esse, hoc mirabili experimento comprobabimus.

R. Uri-

℞. Urinam puerorum, qui ab octavo anno induodecimum & ultra non evadant, quam urinam ex ipsis pueris manè ex lecto surgentibus collige, cujus magnam quantitatem te habere oportet, quæ vase vitreo putrefacienda est quamoptimè, ocluso vase ne respiret, cujus vasis duæ partes debent esse plenæ, reliquæ vacuæ, atque hoc pacto intra finum equinum collocari debet ad putrefaciendum, quousque ipsa urina nigrescat, quod intra quadraginta vel quinquaginta dies contingere solet. Sed ut ipsa urina brevioris temporis spatio putrescat & nigrescat, hoc secreto habuimus & vero experimento comprobavimus, immiscendo & conjungendo cum prædicta urina, cyathum aquæ vitæ (*philos.*) quæ sit prius rectificata quamoptimè, atque hoc putrefactionem accelerabit. Factâ putrefactione constitue urinam in urinali, (*cucurbita*) cum alembico & recipiente optimè clausis, cujus vasis duæ partes sint plenæ, tertia verò vacua, atque in balneo lento igne destillabis ex tribus partibus unam, vel quamdiu in capello procreet venas. Quibus venis elapsis & evanescentibus, recipientem remove, & oclusum optimè cum aqua destillata conservabis, quæ est ejus mercurius (*spiritus*) in loco frigido quantum poteris: Deinde destillationem continuabis augendo ignem, & destillabitur ejus phlegma, quod vehementiorem ignem exigit, ut alembicum exire possit; atque hoc modo continuabis destillationem, quousque corpus appareat ad similitudinem mellis vel picis fusæ; tum sine vas frigescere, & phlegma, quod destillabit, servabis. Postea accipe primum mercurium seu primum spiritum, quem in principio destillasti, quem rectificabis hoc modo: Pone igitur illum in bociam magnam, cujus altitudo sit unius brachii & mediæ, postea in collo bociæ immitte licinium (*lichniam*) bombacis tantum, quantum sufficit ad ocludendum os ipsius bociæ, quod licinium sit prius madefactum oleo, & expressum, & filo canabaceo ligatum; ut ex collo ipsius bociæ ipsum, quandocunque volueris, poteris extrahere, nec intrâ bociam valeat decidere. Appone demum bociæ alembicum cum recipiente, juncturis optimè clausis, cum flore farinæ & lineis fasciis illitis, hoc est impastatis ipso bitumine farinæ ad collum bociæ firmiter alligatis, ne vasa respirent. Quo bitumine (*luto chymico*) desiccato, constitue bociam ad ignem balnei leniter ferventis, & materia sublima-

bitur in pretiosissimum salem. Hoc tamen adverte fili, ut rostrum alembici sit amplum & patens, ne sal ex cucurbita emergens ac sublimans obstruat os rostri ipsius alembici, cum in recipientem emanabit, quod si fieret, rumperentur vasa, ut antea quoque nobis accidit, cum hoc experimentum ad practicam contulimus. Cum totum salem videris per distillationem transactum, remanebit in boccia quaedam aqua phlegmatica, quam projice, quia nihil valet. Salem autem transactum cum cautela evacuabis, ac vase vitreo servabis quam optime oclusum, quod sal erit volatile, & eo utemur ad corporum dissolutionem vel ad compositionem medicinarum. Est etiam alius modus praedictum spiritum sive mercurium animale rectificandi sive purgandi. Accipe ergo illum animale spiritum, ac destilla per balneum, & transacta medietate liquoris, remove recipientem, & quod in vase remanet projicito. Quod autem destillatum est, iterum destillabis, ex eo accipiens duas partes, quod in vase remanet iterum, ut supra, projicito. Tertio vero, quod transactum est, destillabis; & ex eo recipias paulo minus totum, atque hoc modo spiritum sive mercurium animale rectificatum perfecte habebis; quo poteris exanimare suam terram, quae superius tibi mansit in similitudinem picis fusae. Accipe ergo picem illam fusam, sive magis terram fusam, ac illi superinfunde tantum de praedicto spiritu animali, ut supernatet quatuor digitis, claude vas cum suo antenotario, cum cera gummata, ne respiret. Postea vas ipsum sive urinale concutias quamoptime, ut spiritus incorporetur, & terra melius conjuncta spiritui dissolvatur, pone in putrefactione per duos dies naturales, deinde amoto antenotario, & cum celeritate superimposito alembico cum recipiente, juncturis bene clausis ne respiret, destillabis per cineres. Cave tibi a fumo, cum vas aperueris, sunt enim potentissimi. Transacto igitur per distillationem toto spiritu, ignem augebis, ut anima imprimatur in aquam destillatam, ac denique iterum ita gradatim ignem augebis, quousque sublimetur alius sal sive sulphur. Cum non amplius sublimabit, frigefacto vase collige sublimationem, quam cum spiritu animato collocabis nuper destillato. Postea materiam duram & crematam remanentem in vase extrahe, & trituras, & iterum illi, ut supra de novo spiritu infunde, & clauso vase cum suo antenotario iterum,
ut

ut supra, putrefacias, amotoque antenotōrio, & supraposito alembico cum recipiente firmiter ocluso, per cineres destillabis spiritum animatum. Quo transacto, iterum, ut supra, in fine augebis ignem, ut aliqua pars olei transmittatur, atque alia pars sulphuris sublimetur. Cū autem videris nihil ultra destillari, nec quicquam sublimari, finito vas frigefieri, & animatum spiritum nuper destillatum cum altero prius destillato conservabis. Sic etiam, si qua pars salis per sublimationem ascenderit, eam cum prædicto spiritu simul misceto, ut supra, & clauso firmiter vase hæc omnia conservabis. Tunc iterum super terram de novo spiritu superinfunde, ut supernatet tribus digitis, & annexo antenotōrio, ut supra putrefacias, ac demum per cineres, ut supra destillabis. Cū autem amplius nihil destillabit, ignem adjunctis lignis augebis, quantum possibile fuerit, ut terra ipsa calcinetur, ac in hac tertia operatione convertatur in beretinum sive cineritium colorem. Mox frigefacto vase & amoto recipiente cum spiritu animato, cum reliquo spiritu animato conservabis: Terram verò pone in vas fictile sive cretaceum, quod sit solidum ac sustinere ignem possit, quod claude cum suo capello, subministrans ei vehementem ignem, quantum fieri possit de lignis, atque ita per duos dies continuabis, tunc per id temporis spatium terram calcinaveris frigefacto deinde vase, extrahe dictam terram, quæ erit alba propemodum vel beretini coloris clari & nitidi; supra quam infunde tantum de suo phlegmate, ut supernatet quatuor digitis, ac in cineribus sinas fervere per quatuor horas, ac postea decantabis liquorem cautè in aliud vas, ac serva. Remanentem terram desiccabis, atque illi infunde iterum de novo phlegmate, ut supra, fac postea bullire ut supra, mox decantabis, ut supra, ac terram desiccabis, ita magisterium reiterabis, donec tota terra dissoluta fuerit; vel tota ejus pars in illud phlegma imprimatur, quod fortè accidet terna vel quaterna dissolutione. Si quid insolutum permanserit, projicito; est enim terra inanis. Quæ autem cum phlegmate transacta fuerit, eam trans mitte per filtrum, postea iterum per pannum lineum subtilissimum transire facias; quo facto, dissolutionem in igne cinerum lentissimo congelabis in urinali vitreo: Cui suppositus sit alembicus cum suo recipiente. Quo congelato iterum dissolve in eadem aqua nuper destillata per filtrum, postea.

postea per pannum iterum transmittas, postremo congelabis, ut supra. Hoc autem magisterium toties reiterabis, donec in filtro, nullam amplius terrestreitatem emittet. Tunc servato *salem nostrum armoniacum physicum, sulphur animale nostrum, mercurium animale fixum nostrum*, de quo paululum quid super laminam igneam colloca, & si fluat tanquam cera sine fumo, signum est, te habere argentum vivum fixum ac perfecte depuratum, cum quo plurima experimenta haurire poteris. Hic est ille mercurius, qui aptissimum nobis subsidium præbuit, ut in inferioribus experimentis comprobabitur.

Terræ huic exanimatæ redde spiritum animatum variis imbibitionibus, per modos descriptos in salium harmoniacorum vegetabilium præparationibus, quoniam unam esse viam & modum in animali & in vegetabili, nihil variando, dixit Lullius. Cum verò horum salium confectioes satis tædiosæ sint, pro coronide addemus Lullii modum accurtationis.

Sal harmoniacum vegetabile per accurtationem Lullii,

In Testam. Noviss.

Fili cum Dei adjutorio illud sulphur (*naturæ*) potest mirabiliter accurtari, & modus talis est. Ut accipias picem nostram liquidam (*post abstractionem phlegmatis relictam*) & illam pone in cucurbita, in igne tertii gradus, & extrahes oleum, quousque sicca remaneat terra & combusta. Fili calcina, ut te docui, & depura terram, & sic separa sal ab ea, & super illam da quartam partem spiritus, qui est in secunda aqua (*jam ex pice destillatâ*) & digere, ut supra, abstrahendo postea humiditatem (*superfluam, inspidam & rejiciendam*) iteratò da quartam partem, digere & exsicca, ut prius, quousque terra sit prægnans. Signum erit quod amplius nihil destillabit (*phlegmatis vel humiditatis prædictæ*) sublima, & habebis vegetabile sulphur mundum & purum, & ejusdem virtutis cum primo, fili cum Dei timore monco, ne hoc excellentissimum accurtamentum alicui reveles.

Pari-

Parisinus in sua confellione salis harmoniaci vegetabilis oleum è pice Vini phil. extractum, superfluum & alienum esse dixit: Se-para, inquit, omnes unctuositates superfluas, quæ perfecta & pretiosa elementa, in ista materia vegetabili permixta & latentia, comburunt, & ab ista compositione sunt alienæ. Et paulò post: Post separationem unctuositatis & substantiæ aëreæ superfluæ, quæ cætera hujus compositionis elementa pretiosa denigrat & comburit, suum spiritum ardentem & cælestem ipsi affundes.

Imò ipse Lullius in antecedentibus oleum istud, ut & Vini hujus phlegma, in opere præsentis nullius esse valoris pronunçavit; nihilominus in hac salis harmoniaci accurtatione, non solummodò usus est oleo dicto, & quidem, (quod mireris) pro laboris tædiosissimi abbreviatione, sal harmoniacum autem ita confectum, ejusdem virtutis cum cæteris esse prædicat. Aliquando pro præsentis accurtatione unà cum oleo etiam aqua vel spiritu animato usus fuit sic:

Sal harmoniacum vegetabile aliud per accurtationem Lullii,

Libro de materia vegetabili in practica septima.

R. **V***Inum optimum rubrum, destilla secundum artem spiritum ardentem, ita ut comburat gossypium, postea phlegma. Super materiam restantem in fundo alembici, crassam instar picis fusæ, affunde phlegma ad dimidii pedis supereminentiam, bulliat per tres horas, decanta phlegma tinctum, aliud superaffunde, repetendo toties, usque non amplius tinguatur. Si phlegma tuum non sufficeret, oportet, ut in balneo abstrahas phlegmata tincta; quibus evaporatis remanebit in fundo vitri oleum vegetabile. Tincturâ phlegmate extractâ, materia remanebit instar terræ siccæ, super hanc terram siccam funde de spiritu ardente ad quatuor digitorum supereminentiam; bulliat per duas horas, quod interea destillaverit reaffunde terræ, subsadat per duas horas, tum decanta spiritum animatum à spiritu vel anima terræ. Super terram funde novum spiritum facien-*

faciendo, ut supra, tribus vicibus. Terram nigram & calcinatam pone in vitro longi colli, cui affunde oleum vegetabile (*supradictum*) digere in cineribus per decem dies, quod postea decanta, & pone in alembico, cui adde quartam partem spiritus ardentis animati, digere in balneo vaporoso per 24 horas, tum superaddere continua singulis 24 horis reliquas tres partes spiritus animati. Tum leniter destilla ex cineribus humiditatem superfluam, inspidam & inutilem, & augmentando ignem per gradus sublimabis sal volatile, &c.

Haftenus de variis præparationibus salium harmoniacorum vegetabilium; jam persequemur Cæli vinosi alteram partem, videlicet variam horum salium reductionem in liquidam substantiam. Adepti ut plurimum salis harmoniaci veget. partem unam destillarunt per alembicum cum partibus tribus aquæ ardentis, cui liquori iterum addidère salis prædicti partem, & destillavère, idque repetierunt tertium aliquando quartum, ita ut salis & Aquæ pondera sint æqualia, nam quò major salis ejusdem quantitas est, eò menstrui qualitas est fortior. Tandem menstruum circulavère, ut inde evaderet purius & excellentius. Quamvis autem methodus hæc adeptis magis consueta fuerit, nihilominus illorum vel curiositas vel sedulitas etiam alios adinvenit modos, ita loco aquæ ardentis, quâ præparârunt tam sal harmoniacum veg. quàm menstruum, aliquando receperunt aquam ardentem circulatam sive Cælum vel Essentiam Vini phil. sub No. 1. descriptam. Ita sit

31. Cælum vegetabile circulatum Lullii,

Lib. de materia vegetabili in practica quinta.

R. **V**Inum optimum album, destilla spiritum ardentem usque comburat gossypium: Pone spiritum hunc in circulatorio duarum tertiarum vacuo, muni orificium cerâ, & sepeli in fimo calido, ita ut orificium sit inferius, & vitri fundus superius, ita circuletur & digeratur hic spiritus per 45 dies, vel eo usque donec magis subtile & clarum supernatet (*in forma*